



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118510

§. 3. Colloquium Papam inter & Cæsarem Lucæ habitum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæc. XVI.
A.C. 1541.

§. III.

Colloquium Papam inter & Cæsarem Lucæ habitum.

Paul. Jov.
h. s. l. 30.
Pallav. hist.
Trid. lib. 4.
c. 16.

Erat autem Papam inter & Cæsarem conventum, quod absque omni apparatu, ac sine solemniori comitatu visum ire, atque officii caussa invicem convenire vellent, Cæsarque permitteret, ut prior eum Papa semel duntaxat, & quidem sine solito comitatu inviseret, reliqua vero colloquia in Pontificis cubiculo haberentur (*). Ceterum præcipuum hujus congressus argumentum versabatur circa Concilium & bellum in Turcas movendum, & quantum ad pri-
mum articulum juxta quorumdam rela-
tionem propositum fuit, quod Synodus
Lucæ convocanda esset, Magistratus ve-
ro allatis excusationibus perdemisse
hanc provinciam deprecati dicebantur;
verum hæc relatio vero haud similis vi-
detur: id tamen firmiori innititur ratio-
ni, quod Papa Concilii celebrationi an-
nuens Vicentiam, ad quam urbem jam
antea Concilium convocaverat, pro Sy-
nodi

(*) Hanc in rem Paulus Jovius, quem Con-
tinuator allegat, duntaxat hæc habet: *Ter Cæ-
sar ad mutua colloquia Pontificem adiit, ille Cæ-
sarem semel.* De ejusmodi autem pacto Palla-
vicinus omnino filet.

nodi loco designaverit, Venetorum au- Sæcul. XVI.
tem Respublica obstiterit; cum enim A.C. 1541.
ad suas urbes tam numerosum Conven-
tum admittere haud consultum censeret,
nec ulla tenus permittere vellet, ut intra
illius ditiones de bello contra Turcas a-
geretur, hinc respondebant Veneti, quod
fœdus, quod nuper cum Solimano fir-
massent, totam rei faciem immutasset,
proin Papæ votis haud ultra cedere va-
lerent, eo potissimum nomine, quod ea
res haud levem Sultano suspicionem in-
gereret, perinde ac si eo fine Conventus
ageretur, ut ibidem omnes Christiani
Principes adversus Turcarum Impera-
torem armorum societatem percutere
meditarentur. Accepta horum repul-
fa Pontifex in aliis consiliis opem quæ-
rere compellebatur.

Cum ergo ejus conatibus prosper ab-
luderet successus, Cæsari totis viribus
persuadere nitebatur, ut dimissa expedi-
tione in Africam, potius cunctas armo-
rum suorum vires Turcis opponeret, at-
que Hungariam, ubi periculum gravius
magisque urgens videbatur, liberaret.
Verum Cæsar Pontifici declarabat, quod
nullo prorsus pacto a concepto naviga-
tionis Africanæ proposito desistere vel-
let.

A 3

§. IV.